

cari? et diebus istis inauditum feminam attemptare tam arduum. Si cui hoc suggereret vel suus cogitatus vel angelus malus, ad radicem mox ubi oriretur aresceret; numquam ad signum, numquam ad nutum pro multa domus disciplina procederet. Hinc tamen frater Joseph securus esse non potuit, suspectum se suspicans et fluctuans jugiter nec habens solatium preter Deum et priorem¹⁾ solum. Apud hunc habuit gratiam specialem, specialiter ei commendatus ab inclusa sancta, que secreti hujus sola creditur conscia. Voluit autem Deus finem dare angustiis et educere illum in latitudinem²⁾. Et infirmatus est Joseph usque ad mortem. Vicinus morti priorem vocat, confitetur ei, omnia ei sua preter sexum indicat. Hic per se gloriosus (sic) habuit innotescere. 'En', inquit, 'ego morior; promissum est mihi, non fallat qui promisit. Invenietis in me, quod miremini, sed non oportet. Magna mihi fecit Deus; dignum esset, quod responderem beneficiis ejus. Si non tedet vobis audire, referam vobis, quid miraculorum fecit Deus in me'.

'Indigena sum', inquit, 'terre hujus natus in territorio Coloniensi, patre christiano, matre pariter christiana. Defuncta est mater, pater quoque amittere me metuens, votum vovit Domino, sepulchro ejus se simul et me presentare, si mihi vitam dignaretur concedere. Vovit et reddidit exiens et exhibens me Jerosolimis infantulum adhuc et parvulum nimis. Eramus in reditu, in Tyrum venimus, illic infirmatus est pater meus, mortuus et sepultus. Servum habuimus in comitatu, ejus fidei commendatus sum ego et residuum pecunie viatico parate. Suscepit nos, servavit et me et pecuniam, sed carius illam; pausatam est aliquandiu in Tyro, ab inde huc transfretare dispositum. Aptantur naves, naute peregrinos ad iter invitant, in crastinum ituri et diluculo anchoras soluturi. Importantur necessaria, singuli provident sibi, pedagogus meus sui curam gerit, mei negligens. Denique abiit mane cum ceteris, deportat mea, me in hospitio et in lecto derelinquens. Evigilo, nichil invenio, non res, non socium, non vel ullum qui succurreret. Mendico, loquor et non intelligor. Fames crebras et gravissimas patior. Transit annus et nimium longus mihi. Veniunt peregrini, molior reditum, casum meum pando Theutonicis, omnes miserentur, nemo succurrit. Quidam postremo nobilium accepit me in sua, curam mei habens; cum ipso transfretavi. Romanum docuit me fames et necessitas mendicandi. Adjeci studium et didici litteras, mendicans illas in scholis sicut in ostiis bucellas. Ad ultimum repatrio, venio in terram hanc: coram his qui me noverunt [in]venio gratiam. Interim a domino papa³⁾ pulsatur imperium de ordinatione

1) Diepold war damals Prior. Vgl. Cod. dipl. Schonaug. bei Gudenus, Sylloge I. variorum diplomatum, Frankf. 1728, S. 34. 2) 2 Reg. 22, 20. 3) Lucius III.